

quia praemissa ex quibus argumentando processit sunt convertibilia, procedit e converso: sequitur enim e converso quod si esse omnium rerum sit bonum, quod ea quae sunt, inquantum sunt, bona sint; ita scilicet quod idem sit unicuique rei esse, et bonum esse: sequitur igitur quod sint substantialia bona ex hoc quod sunt bona, et tamen non per participationem bonitatis. Ex hoc autem quod inconueniens sequatur, ostendit subdens; et dicit, quod si ipsum esse rerum omnium sit bonum; cum ex hoc sequatur quod sint substantialia bona, consequens est etiam quod sint primo bono similia, quod est substantiale bonum, et cui idem est esse et bonum esse: et ex hoc ulterius sequitur quod omnia sint ipsum primum bonum, quia nihil praeter seipsum est simile illi, scilicet quantum ad modum bonitatis. Nihil autem aliud praeter primum bonum eodem modo est bonum sicut ipsum, quia ipsum<sup>1</sup> solum est primum bonum. Dicuntur tamen aliqua ei similia, inquantum sunt secundo bona derivata ab ipso primo et principali bono. Si ergo omnia sunt ipsum primum bonum; cum ipsum primum bonum nihil sit aliud quam Deus, sequitur quod omnia entia sunt Deus: quod dicere nefas est. Sequitur igitur et ea quae praemissa sunt, esse falsa. Non igitur entia omnia sunt substantialia bona, neque in eis ipsum esse est bonum, quia ex his conclusum est quod omnia sunt Deus: et ulterius sequitur quod non omnia sint bona inquantum sunt.

Deinde cum dicit, "Sed neque participant bonitatem," procedit ulterius ad removendam primam suppositionem; et dicit, quod si huic quod est entia non esse substantialiter bona, adjungatur alia conclusio quae supra inducta est, scilicet quod entia non sunt participative bona, quia per hoc sequeretur quod nullo modo ipsa ad bonum tenderent, ut supra habitum est; videtur ulterius posse concludi, quod nullo modo entia sunt bona: quod est contra id quod supra praemissum est.

## LECTIO IV.

## TEXTUS

Huic quaestioni talis poterit adhiberi solutio. Multa sunt quae, cum actu separari non possint, animo tamen et cogitatione<sup>2</sup> separantur; ut triangulum vel cetera a subjecta materia nullus actu separat, mente tamen segregans ipsum triangulum proprietatemque ejus, praeter materiam speculatur. Amoveamus igitur primi boni praesentiam paulisper ex animo, quod quidem esse constat:<sup>3</sup> idque ex omnium doctorum in-

<sup>1</sup> *Al. omittitur* quia ipsum.<sup>2</sup> *Al. cum cogitatione.*<sup>3</sup> *Al. contingit.*

doctorumque sententia, barbararum quoque gentium religionibus cognosci potest. Hoc igitur paulisper amoto, ponamus omnia esse quae sunt bona; atque ea consideremus<sup>1</sup> quemadmodum bona esse possent, si a primo bono minime defluxissent. Hic intueor in eis aliud esse quod bona sunt, aliud quod sunt. Ponatur enim una eademque substantia bona esse, gravis, alba, rotunda: tunc aliud esset illa ipsa substantia, aliud ejus rotunditas, aliud color, aliud bonitas. Nam si haec singula idem essent quod ipsa substantia, idem esset gravitas quod color, bonum quod album, et quod rotundum:<sup>2</sup> quod fieri natura non sinit. Aliud igitur tunc in eis esset esse, aliud aliquid esse; ac tunc quidem bona essent, esse tamen ipsum minime haberent bonum. Igitur si nullo<sup>3</sup> modo essent non a bono, bona quidem essent, ac non idem essent quod bona; sed eis aliud esset esse, aliud bona esse. Quod si nihil omnino aliud essent nisi bona, neque gravia, neque colorata, neque spatii dimensione distincta,<sup>4</sup> neque ulla in eis qualitas esset, nisi tantum bona essent; tunc non res sed rerum viderentur esse principium; nec potius viderentur, sed videretur: unum enim solumque est hujusmodi, quod tantum est bonum,<sup>6</sup> aliudque nihil sit. Quae quoniam non sunt simplicia, esse omnino non poterant nisi ea id quod solum bonum est, esse voluisset. Idcirco quoniam esse eorum a boni voluntate defluxit, bona esse dicuntur. Primum enim bonum in eo quod est, bonum;<sup>5</sup> secundum vero bonum quod<sup>6</sup> ex eo fluxit, cujus ipsum esse<sup>7</sup> est bonum, ipsum quoque bonum est; sed ipsum esse omnium rerum ex eo fluxit quod est<sup>8</sup> primum bonum, et quod bonum tale est ut recte dicatur: In eo quod est, bonum est: Ipsum igitur eorum esse bonum est. Tunc enim in eo quod essent, non essent bona, si a primo bono minime defluxissent.

## EXPLANATIO

Praemissa quaestione, et rationibus hinc inde inductis hic Boetius adhibet solutionem: et circa hoc tria facit. Primo determinat veritatem quaestionis; secundo solvit objectionem, ibi, "Quia in re soluta est quaestio:," tertio inducit quasdam objectiones contra solutionem, et solvit eas, ibi, "At non alba, in eo quod sunt alba, esse oportebit ea quae alba sunt."

Circa primum tria facit. Primo praemittit quamdam suppositionem; secundo ostendit quid illa suppositione facta sequatur circa bonitatem rerum, ibi, "Hoc igitur paulisper amoto, ponamus omnia esse quae sunt bona;," tertio ostendit qualiter se habeat bonitas rerum secundum rei veritatem, nulla suppositione facta, ibi, "Quae quoniam non sunt simplicia, esse omnino non poterant nisi ea id quod solum bonum est, esse voluisset.," Circa primum duo facit. Primo praemittit quiddam

<sup>1</sup> *Al. quae consideramus.*<sup>2</sup> *Al. quod bonum, et bonum quod gravitas: quod fieri etc.*<sup>3</sup> *Fortè si cuncta, vel quid simile.*<sup>4</sup> *Al. distenta.*<sup>5</sup> *Al. quoniam est, eo quod est, bonum est.*<sup>6</sup> *Al. quoniam.*<sup>7</sup> *Al. deest esse.*<sup>8</sup> *Al. omittitur est hic, et infra.*